

- gulis capitulis ejusdem. *Instit. eccler. 6o. §. 8.*
- 38 Consuetudo rationalis, & legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam, ex textu in *cap. final. in Consuet.* Nefas tamen est Episcopo juxta consuetudinem diocesis suæ contra canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris; nimia autem esset arrogantia, si Episcopus legem conderet contra legem superioris. *De synodo dioc. lib. 7. cap. 71. §. 7.*
- 39 Qui plura, & distinctiora cupit hac super re adeat editionem quartam Romanam Theolog. Moralium Rev. P. Antoine tract. de legibus cap. 9. §. 1.
- 40 An ad inducendam consuetudinem in statu monarchico opus sit scientia, & patientia Principis, mire inter se variant Auctores. Negant alii, Hann. ad Wesembec. *lib. 1. tit. 3. n. 10.* Christin. *dec. Belgic. vol. 2. dec. 55. n. 6.* Alii affirmant, Treutler. *select. disp. vol. 1. disp. 1. thes. 9. lit. D.* Strykius *de usu modern. Pandect. lib. 1. tit. 3. n. 65.* Contrarias hæc opinionem ita alii conciliant, ut procedat opinio negativa, si agatur de consuetudine præter legem, procedat vero opinio affirmativa, si de consuetudine contra legem agatur: Tulden. in *cod. tit. Quæ sit long. consuet. n. 1.* Bohemer, in *introduc. in jus digest. l. 1. tit. 3. n. 19.* Alii alia placent conciliationes, de quibus consule Hunn. ad Treutler. *select. disp. vol. 1. disp. 1. q. 54.* Mihi negativa opinio arridet, & quidem sive res sit de consuetudine præter legem, sive de consuetudine contra legem, idque quia tum in jure civili, *leg. 33. §. plur. seq. ff. de legib. leg. 1. §. 3. cap. Quæ sit long. consuetud. tum in jure canonico, cap. final. de consuetud.*
- 44 generaliter probata est quævis consuetudo. Non est ergo cur ad ipsam inducendam necessaria esse possit scientia, & patientia Principis, si ea probata jam est à Principe.
- 45 Et quod præterendum haud est, in *dist. cap. fin. de consuet.* probata est consuetudo contraria juri positivo, modo tamen sit rationalis, & legitime præscripta.
- 46 Ceterum si lex aliqua non statim prohibeat consuetudinem sibi contrariam, tunc opus esse videtur scientiæ & patientiæ Principis ad consuetudinem inducendam, quum pro consuetudine hæc non militet mox adducta ratio, quod Princeps probavit consuetudinem. Quod si consuetudo expressis verbis prohibita à lege sit immemorabilis, præsumitur scientia, & patientia Principis.
- 50 \*\*\* Consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut juri naturali, non tam pro consuetudine, quam pro abusu & corruptela reputandam esse, compertum est.
- 51 Non omnium consuetudinum eadem est vis, & auctoritas.
- 52 Et quidem quædam sunt consuetudines, quæ auctoritati, etiam Sacræ Scripturæ, cedere non debent, utpote quæ ex traditione apostolica ad nos transmissæ habentur.
- 53 Sunt consuetudines, quas universales per orbem diffusa ecclesia servat, & quæ ab Apostolis ad nos dimanata creduntur.
- 54 Alia vero quæ nec contra Scripturam Sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur; ac variæ & diversæ pro varietate locorum & populorum reperuntur; de quibus agit Sanctus Augustinus epistola ad Casulanum.
- 55 Quæ omnes consuetudines, etsi inveteratæ, cum vix, aut omnino nunquam inveniiri possint causæ, quas in eis instituentis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione rescandæ & extirpandæ sunt.
- 56 Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, ut docet Gratianus *can. 10.* sive quod ea sit accipienda consuetudo, sine differentia locorum, quæ pro omnipotenti Deo possit placere.
- 57 Consuetudines piæ & laudabiles observari jussit S. Carolus in suo Concilio Mediolan. I.
- 58 Consuetudo, quæ omnino rationi & veritati conformis est, ex Divo Augustino, retinenda esse videtur; ait enim ipse Sanctus Doctor *can. 7. Cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.*
- 59 Mutationem antiquarum consuetudinum & inveteratorum morum solere esse causam turbationis, multaque secum incommoda trahere in rempublicam christianam, fusius ostendit Franciscus Salga-

do in tract. de supplicat. ad Sanctiss. part. 1. cap. 6.

A consuetudine suæ ecclesie quoad ritus non facile recedendum est, eo quod hujusmodi licentia paulatim latus serpens, confusionem, aliæque incommoda in ipsos sacros ritus & sacramentorum administrationem inducere possit.

In officiis & honoribus exhibendis non modo videndum est quid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat; adeo ut in iuribus honorificis exhibendis plurimè semper faciendæ sit recepta consuetudo; ita Franciscus de Rove *lib. 2. cap. 5. de iuribus honorificis.*

Consuetudo canones in totum abrogare non potest, eo quod ipsi quandoque non tantum juri mere positivo, sed etiam naturali inniti videntur.

Canones autem quæ versantur circa ea quæ sunt juris nature, neutiquam abrogari consuetudine possunt, vel ulla humana relaxatione immutari.

Consuetudine abrogari potest tam jus commune, quam statutarium.

Præsertim si jus quod alicui tribuitur, non est prohibens, sed concedens.

Circa consuetudinem, quatuor casus figurari valent, in quibus ipsa adesse potest. *Primus est* quando jus est conforme consuetudini, disponendo id quod consuetudo recipit: & tunc ista non est consuetudo, sed observantia legis. *Secundus*, quando jus est simpliciter contrarium consuetudini disponendo id, contra quod introducta fuit consuetudo; & tunc ista dicitur consuetudo contra simplicem dispositionem juris, quæ sola quadragenaria induci potest. *Tertius est*, ut quando jus est nedum contrarium consuetudini, sed illi resistit derogando, & prohibendo contrarium usum, & tunc requiritur quadragenaria cum titulo vel immemorabilis. *Quartus casus est*, quando jus nec assistit, nec resistit consuetudini, sive per contrarietatem, sive per resistantiam prohibivam, & tunc dicitur consuetudo interpretativa, quæ datur in re dubia, & potest per decennium introduci.

Consuetudo ut vim & auctoritatem legis habeat, tria concurrere debent, videlicet usum longævum, Principis consensus, & rationalis causa; ita Doctores omnes in *leg. de quibus*, de consuetudine agentes.

Quot anni desiderantur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud Doctores: Glossa & Bartolus docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem; Hottomanus vero & Mela existimant tantum tempus desiderari, quantum superstium hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit.

Quidquid sit, receptor opinio est illorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem, quæ est præter jus, & eam quæ est contra jus, ita ut si sit præter jus scriptum, desiderantur tantum decem anni; si vero contra jus, desiderantur quadraginta.

Sed sive per decem sive per quadraginta annos inducatur consuetudo, debent per illud tempus actus populi intervenire; quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur; qui quidem actus debent esse voluntarii & non coacti, uti pluribus relatis defendit Avendaus *de metu lib. 2. cap. 36.* Hi actus debent etiam esse uniformes, cum ex diversis consensus colligi non possit.

Ut consuetudo vim legis obtineat, desideratur Principis consensus sive approbatio, & hæc vel tacita, vel expressa.

Consensus Principis debet esse rationalis, ita ut justa ratione nitatur, sive rationi non repugnet, quia lege statui potuit; eadem enim est materia legis, justitiæ, & consuetudinis; nam consuetudo est tacta quadam lege, *leg. 3. Quæ sit longa consuetudo.* Irrationabilis enim consuetudo corruptela est, quæ nec immemorabili tempore præscribi potest. \*\*\*

(In præcedentis doctrinæ comprobationem sufficiens videbatur eorum recognitio, quæ sit. A pag. 112. in *addit. hisp. col. 1. 225. col. 2. in novis. §. lit. D. pag. 79. col. 1. vers. Quamvis* : proponuntur; non occit mente præsertim retinere in *addit. hisp. verb. Declinæ art. 3. exposita*, ubi de recursu lingua vernaculæ de *noveis dicimus* mentio intercedit, nam petivum est omni-

nibus, jure esse determinatum, decimam solvi debere: & quamvis (*vid. ibi Auctorem doctrinam*) quoad quotam aliud medietur, quod solutionem non dari exemptionem suadet: sustinetur nihilominus recursus: & si per consuetudinem non solutio alienius speciei exponatur, exactio ejus ulla haud est permittenda.

Etiamsi per *1. 2. part. 1.* comprobantia antecedentia ferre ostendantur, de singulis in eo contentis meminisse oportet. In *proamio* hujus tituli asseritur, tria esse quæ vim legis aut imminuunt, aut tollunt, scilicet *usus*, *consuetudo* seu *forum*: imaginem propositam literarum, eo quod sicuti ex eis *verbum* oritur, ex hoc *ratio*, ita ex tempore *usus*, ex usu *consuetudo*, atque ex hac *forum*. De his omnibus agitur. *Usus per l. 1.* describitur: est res ex eis ab homine nonnumquam dictis, factis, ac permagno tempore, absque aliquo impedimento frequentatis orum ducens. *Per l. 2.* præscribitur ejus objectum, & à quibus est ei assentiendum: sine incommodo alicujus, pro communi utilitate, palam fieri debet, ita ut ab hominibus haud imperitis hujus scientia habeatur. *Per l. 3.* quinque præsternitur, cur per usum tempus lucratur, videlicet commodum si sequitur: ad omnium oculos, atque ex certa scientia: si fiat cum illorum beneplacito, & voluntate sub quorum imperio degunt: contra jus, nisi abrogatio præcesserit, vires non accipit: denique si domini mandatum intercedat, sed tunc equidem dupliciter tempus acquiritur, majus & minus; in hoc usum ad operandum non excusatur, secus in illo. *Per leg. 4.* quid sit consuetudo, denotatur: jus aut forum non scriptum *prout ab Auctore*, definitur: consuetudinis tres sunt species, quamquam in generalem, & particularem dividatur: dum super re particulari, sive in loco, personæ cadit, dum super universalitate in omnibus, & tandem super aliquibus factis singularibus, in quibus homines firmiter consistunt. *Per leg. 5.* quid sit populus, demonstratur: à gentium cœtu, invicem se in aliquo territorio coherentium, inter quas omnis homo, mulier, clericus (*vid. lit. R. pag. 56. num. 148.*) aut laicus sive fuerit, continetur, assumitur denominatio; hic equidem populus; ejusve major pars, si per decem & viginti annos aliquid in effectum perduxerit, domino soli sciente, & non contradicente, consuetudinem efficere valet, cujus observantia procuranda, dummodo in iudicio contraditorio, & in sum favorem duæ sententiæ interea temporis fuerint prolata: ut observari præcipiatur, debere esse rationabilem, constat, immo si contra Dei legem, diadematis jura, naturalia, sive publicam utilitatem, nullius erit firmitatis, tamquam damnum, & non justitia ex tali consuetudine proveniens. *Per leg. 6.* vis justæ consuetudinis & rationalis in publicum redigitur, locumque sibi vindicat in iudiciis, nam juxta eam præferri potest sententia, si jus scriptum deficiat: ut lex attendi debet: si hujus fuerit dubia determinatio, consuetudo legem declaravit, quia ejus est interpres: antiquis & abrogare, & derogare valet, generalis aut sit particularis, propter præsumptam Principis scientiam, tempore ut *supra* transacto: quantum sic observatum attenditur; ceterum non semper, nam consuetudo, etsi justa videatur, dupliciter dissolvitur, aut per aliam contrariam sub eisdem circumstantiis posteriori in tempore observatam, seu per leges, & forum noviter promulgata, dum in nihilo cum præcedenti consuetudine habeant conformitatem. *Per leg. 7.* forum describitur jus ab usu, & consuetudine dimanans: sine eis nequit subsistentiam habere: tenet ut lex: discrimen inter usum, consuetudinem, & forum constituitur: illi circa res particulares, & universales, istud vero causarum decisionem signanter concernunt: ideo majorem vim habet quàm usus, & consuetudo (*vid. in add. nov. verb. Biphemia*) manifestum debet esse, & publicum, quapropter à foro, *id est*, loco ubi homines ad emendum, & vendendum congregantur, dicitur: ut mercatus publicæ, & palam sunt, ita esse ornamur forum valet. *Per leg. 8.* qua forma est faciendum: rationi, juri, æquitati, & justitiæ erit conforme: cum peritorum consilio, domini voluntate, & omnium beneplacito, præ oculis communem utilitatem semper habendo. *Per leg. 9.* quibus modis forum tollitur, designatur: si damnosum esse incipit, statim dissolvitur,

& vires amittit: tanto deterior quanto diutius perduret, atque sustineatur. Ad rem *vid. verb. Forum.*

## CONTRACTUS IN GENERE.

## SUMMARIUM.

- 1 *Contractus definitio oppugnata ac propugnata*, ad num. 2.
- 3 *Contractus divisiones*, ad num. 17.
- 18 *Contractus quot modis perficiantur*, & quæ requirantur conditiones ad eorum validitatem, ad n. 50.
- 51 *Contractus vulgo trium contractuum, collatiivus, venditionis cum pacto francandi, an liciti sint* & approbati, ad n. 53.
- 54 *Subnectuntur additiones ex aliena manu*, ad n. 82.

**C**ONTRACTUS proprie dictus est pactum, ex quo altero citroque oritur obligatio, seu est duorum, vel plurium consensus ultro citroque obligationem pariens, qualis est v. gr. emptio, venditio, locatio; & hujusmodi, ubi venditor est obligatus ad dandam mercedem; emptor vero ad refundendum pretium. *Est in re communis*, & habetur ex l. Labeo, ff. de verb. significat. Nec contra hanc contractus definitionem obstat, quod inter patrem, & filium, subditum & superiorem, maritum & uxorem, & hujusmodi, detur mutua, sive ultro citroque obligatio, non tamen contractus, adeoque data contractus definitio non sit bona. Non obstat, inquam, quia respondetur statim distinguendo antecedens. Inter patrem & filium, subditum & superiorem &c. datur mutua obligatio, orta ex aliis virtutibus distinctis à justitia commutativa, v. g. ex pietate, obedientia, fidelitate, & hujusmodi, conceditur antecedens, orta ex justitia commutativa, negatur antecedens, & consequentia. Contractus enim est ultro citroque obligatio, quæ oritur ex motivo justitiæ commutativæ post mutuum contrahentium consensum.

Contractuum divisio est multiplex, relictis enim hic diversis contractibus in specie, ut sunt contractus venditionis, emptio, locationis, conductionis, commodati, societatis, & hujusmodi, de quibus suis respective locis, contractus ut sic, dividitur primo in contractum *explicitum*, seu *formalem*, & in contractum *implicitum*, seu *interpretativum*. Contractus *explicitus*, seu *formalis* est, qui fit expresso partium consensu, & dicitur *explicitus*, seu *formalis*, quia ejus obligatio oritur ex formali, & expressa utriusque contrahentis conventionione, juxta quam procedit regula 85, Juris in 6. *Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur*. Contractus *implicitus*, seu *interpretativus* est, qui fit implicitè solum, & absque ulla expressa conventionione inter partes, sed interpretativa tantum, ex legis videlicet dispositione. Sic v. gr. fit in tutela, id est, quando quis in se suscipit officium tutoris, seu quodvis aliud officium; qui enim tutelam, seu quodvis aliud simile officium in se suscipit, eo ipso implicitè, seu ex ipsa juris interpretatione, absque alia expressa conventionione, sese obligat erga alterum & alter obligatur erga seipsum, juxta leges, & conditiones circa tale officium receptas. Secundo dividitur contractus ut sic in contractum *gratuitum lucrativum*, & in contractum *onerosum*. Contractus *gratuitus lucrativus* est ille, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut donatio, legatum, precarium, commodatum &c. Contractus *onerosus* est ille, quo ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius, ut emptio, venditio, locatio, conductionis &c. in his enim utriusque parti contrahentium aliquod onus imponitur quiddam dandi, vel præstandi. Alii vero illum appellant contractum *onerosum*, ex quo oritur obligatio aliquid rependi loco ejus, quod datur, ut patet in emptione, & venditione, ubi emptor est obligatus ad rependum pretium pro re sibi vendita, & venditor est obligatus ad tradendam rem pro pretio ab emptore recepto; contractum vero *gratuitum* illum appellant, in quo nihil



rependitur loco ejus, quod datur, ut in donatione; legato &c. ubi donarius, & legatarius &c. nihil tenentur rependere donanti, & leganti &c.

9 Tertio contractus ut sic, dividitur in contractum nominatum, & in contractum innominatum: contractus nominati sunt illi, qui non sistant in nomine generalis contractus, vel pactiois, sed transeunt in proprium, seu specificum nomen sibi in jure attributum, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, sponsalia, matrimonium, & hujusmodi. Contractus innominati sunt illi, qui proprio, & specifico nomine carent, & sistant in nomine generali contractus, seu pactiois. Et horum quatuor sunt species, prout habetur in leg. Naturalis ff. de praescriptis verbis, scilicet, do, ut des, do, ut facias, facio, ut facias, facio, ut des. Ubi observa, quod si v. gr. ego do tibi vinum, ut tu mihi des triticum, talis contractus non est emptio, nec venditio, quia non datur pretium pro merce, nec est ullus contractus specificus nominatus, sed sinit in solo generico nomine permutatiois, quia nomen permutatiois ex se est commune omnibus contractibus respectivis, seu parentibus mutam obligationem, ut cum aliis explicat Lugo tom. 2. de contractibus in genere disp. 22. sect. 2. num. 8. Sporer tom. 2. tract. 6. cap. 2. num. 9. & alii; sic etiam fit, cum quis dat Paulo v. gr. panem ut sibi laboret, pingat, scribat, vel aliud quid faciat, aut cum quis colliat alteri vineam, ut alter pascat suos boves, & hujusmodi; est enim ibi, & in similibus conventio quadam, sed non contractus aliquis nominatus.

13 Discrimen autem est inter utroque contractus, quod in contractibus nominatis non licet poenitere, id est, a contractu resilire; altera parte non consentiente, ut patet ex leg. Sicut 5. C. de actione. & oblig. At vero in contractibus innominatis, quantum est de jure civili licet poenitere, seu a contractu recedere, etiamsi pars poenitens, seu recedens ex sua parte contractum impleverit, si ex altera parte nondum impletus sit; dummodo tamen altera pars servetur indemnis, si fortasse aliquod damnum occasione talis revocati contractus incurrat, v. gr. quia facit jam quasdam expensas pro impletione talis contractus, & postea si fuit per poenitentiam alterius partis revocatus: exempli gratia, Petrus dedit Paulo pecuniam, ut pergeret Roman, Petrus potest pecuniam repetere, quamdiu Paulus nondum ivit, dummodo Petrus servet indemnem Paulum, si pro tali faciendo itinere jam quasdam fecit expensas leg. si pecuniam 5. ff. de conditione causa data. Notanter autem dicitur, quantum est de jure civili, quia spectato jure canonico in contractibus innominatis poenitere non licet, si altera pars parata sit fidem servare, & contractum adimplere, neque sit in mora hunc adimplendi. In foro enim conscientia, cum una pars non recedat, debet utraque stare contractui, nisi circumstantiae sint notabiliter mutatae, ut ex communi recte notat Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 6. §. 2. & docet Felinus in cap. Antigonus de pactis num. 13. Molina tom. 2. de justis. & jure disput. 258. num. 7. citans pro hac sententia Baldum in rubric. C. de rerum permutat. & sic tenent alii passim. Et ratio est, quia ut supponimus, vere se in conscientia obligavit, atque altera pars cum onere se obligandi, acceptavit, unde in conscientia non licet uni parti poenitere, seu recedere altera parte dissentiente.

15 Quarto, contractus ut sic, dividitur in contractum

Verba quantum est de jure civili, de jure Romanorum debent intelligi: quia regio hispano nulli ex contractibus, sive nominatis, innominatisve fuerit contractus licet a conventione recedere, altero renuente; est quidem preceptum, (1) ut, quomodocumque quemque obligari, aut esse obligatum consistit, adstrictus maneat; ideo consonum est asserere, non esse locum poenitentiae, immo conventionem esse adimplendam, nisi voluntas in contrarium appareat.

(1) L. 2. tit. 16. lib. 5. Prescindiendo que alguno se quiso obligar a otro por promission, o por algun contrato, o en otra manera, sea tenido de cumplir aquello a que se obligó, y no pueda poner excepcion que no fué hecha estipulacion, que quiere decir prometimiento con cierta solemnidad de derecho, o que fué hecho el con-

bonae fidei, & in contractum stricti juris. Contractus bonae fidei sunt illi, in quibus iudex multa potest arbitrari, quae secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiamsi verbis non fuerit expressa, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, societas, & ceteri contractus, qui enumerantur in §. Actionum autem, instit. de actione. Contractus stricti juris sunt illi, in quibus iudex allegatur ad verba contrahentium, quia in ipsis iudex interpretatur fieri debet secundum id, quod verbis expressis conventum fuit, ut sunt mutuum, census, emphiteusis, stipulatio, donatio gratuita &c. l. 99. ff. de verb. obligat. Hic est advertendum ex Glossa communiter recepta in cap. Cum venerabilis 6. de exceptionibus, verb. Bonae fidei: quod contractus bonae fidei non ideo sic dicuntur, quasi in eis tantum servari debeat bona fides, quia haec etiam in omnibus aliis contractibus stricti juris requiritur, non enim licet neque eos mala fide celebrare; sed ideo primi dicuntur contractus bonae fidei, ex quo cum frequenter soleant fieri inter cives, non solent in illis contractibus apponi multae conditiones, quae aliis in aliis contractibus ponuntur, sed se remittunt ad consuetudines patrie in dictis communibus contractibus intelligi solitas, secundum quas rectus iudex judicare debet, quamvis in similibus contractibus non sint expressae tales conditiones, cum secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse: contractus vero stricti juris ideo sic dicuntur, quia in ipsis contrahentes solent omnes particulares conditiones apponere, secundum quas, & praescripta verba contractus, & non aliter, debet iudex stricte judicare in iis. Numerus actionum bonae fidei, quae sunt septemdecim, patet in sequentibus versibus a Gloss. loco citato adductis:

Empti, conducti, mandati, depositique,  
Pignora, circumdæ (id est familiae hercicundæ)  
Communi (id est communi dividendo) pro socioque,  
Dotis, & hereditatis, tutela, commoda, Gestor,  
Praescriptis verbiis si mutas, sive licetur.  
Ista bonae fidei sunt, stricti cetera juris.

Et eadem Glossa ibi advertit, quod in primo versu per ly empti subintelligitur etiam ly venditi, & per ly conducti subintelligitur ly locati, quia nunquam unum est sine altero, id est, nunquam est emptio sine venditione, & conductio sine locatione. Item in quarto versu verba illa praescriptis verbiis si mutas, sive licetur, duas tantum actiones denotant; nam actio praescriptis verbiis est stricti juris, demptis hi duobus casibus, videlicet, quando ea de iustitiam proponitur, vel quando ea ex permutatone competit. Glossa §. actionum verb. Ex permutatone, instit. de alienib.

Contractus possunt perfici, aut compleri quatuor modis, scilicet, re, verbis, literis, seu scriptura, vel saltem consensu. Est communis, & expressa habetur in §. fin. Instit. de obligat. ibi: Aut enim re contrahitur, aut verbis, aut literis, aut consensu. Ad validitatem contractus multae requiruntur conditiones. Prima est mutuum utriusque contrahentis consensus, l. 1. §. Conventions, ff. de pactis, ubi sic habetur: Dixit Pedius nullum esse pactum, nullam obligationem, quae non habeat in se consensionem, nam & stipulatio, quae verbis fit, si non habeat consensum, nulla est. Idem in terminis habetur l. 3. ff. de obligat. & actione. & patet clare ex ipsamet definitione contractus desumpta ex l. Labeo, ff. de verb. significat. quod nempe contractus sit ultro citro-

que

6 obligacion entre ausentes: o que se obligó alguno que daría a otro, o haria alguna cosa: mandamos que todavia vala la dicha obligacion, y contrato que fuere hecho, en qualquier manera que parezca que uno se quiso obligar a otro. (Verb. Pactum.)

que obligatio, vid. supra num. 1. Secunda ut contractus fiat a personis potentibus, & non prohibitis de jure contrahere, l. 5. Cod. de oblig. Unde invalidi sunt contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, ab amentibus, furiosis, ebriis, & phreneticis: §. Instit. de inutili stipul. & leg. Obligaciones 11. §. 12. ff. de oblig. & actione. Filiusfamilias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, & auctoritate patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. Instit. de inutili stipul. §. Sed quod diximus. Pupillus tamen impubes auctoritate tutoris contrahens obligatur civiliter, ibid. §. Pupillus 9. Et ratio disparitatis est, quia pupillo datur actio contra tutorem, si male suaserit, aut male auctoritatem praestiterit, qualem actionem non habet filius contra patrem ob naturalem reverentiam, ac virtutem pietatis; l. Cum oportet §. sub hoc tamen verb. Filiusfamilias pubes non potest valide contrahere sine consensu patris de bonis adventitiis, & profectis l. ultim. §. 5. Cod. de bonis, quae liberis. Potest tamen talis filius etiam sine consensu patris contrahere de suis bonis castrensibus, & quasi castrensibus, quorum is absolutum habet dominium, Instit. de inutili stip. §. item inutili 6. §. l. 39. ff. de actione. & oblig. Pupillus & Minorennis valide contrahit in suum commodum obligando alterum; non tamen in suum incommodum, seu obligando se alteri sine auctoritate tutoris, vel curatoris. Instit. de auctor. tutor. & inut. stipul. §. pupillus item l. Julianus 13. ff. de actione. empt. l. Contra Juris 28. de pactis & est communis.

28 Pupillus pubertati proximus (id est, post completum annum undecimum cum dimidio, si masculus sit, vel non cum dimidio, si sit femina, ex §. pupillus, instit. de inut. stip. juncta Gloss. verb. Infantia proximus) aut pubes, & multo magis minorennis contrahens cum consensu, & auctoritate tutoris, obligatur & naturaliter, & civiliter; l. Impuberes ff. de auctor. & consensu tutorum.

29 Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt; ista enim pupillis, & minoribus etiam accedente totorum, vel curatorum auctoritate, interdicta est, nisi iudicis decretum accedat; l. Lex, Cod. de administr. tutorum, l. ult. Cod. quando decreto opus non est, §. l. Non solum, si minor, Cod. de praedictis minorum, l. Clarum. Cod. de auctor. praestanda. Pupillus & Minorennis, seu minor 25. annis curatorum habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine tutoris, aut curatoris auctoritate initio. Ita habetur in §. Admonendi, Instit. Quibus alienare licet, toto tit. ff. de auctor. tutor. & l. 3. Cod. de in integrum restit. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili contractu etiam civiliter obligatur: Primo scilicet, quando res tradita pupillo dolo ejus perit, datur contra eum actio civilis, qua solvere compellitur; l. 1. §. An in pupillum, ff. de depositi l. 3. §. pupillus, juncta Glossa ff. de negot. gestis. Secundo, quando pupillus, seu minorennis contractum iuramento firmavit, civiliter etiam actione obligatur; Audent. Sacramenta puberum, Cod. si adversus venditionem. Tertio, quando pupillus, seu minorennis ex tali contractu est factus ditior, l. pupillus §. pupillus, ff. de auctor. tutor. Cod. de usucapione pro emptore. Nam, Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel iactura. Regul. 48. juris in 6. Exempli gratia, si pupillus, vel minorennis mercem sibi traditam a venditore, ante solutum pretium bona fide assumpsit, vel amisit, potest compelli in foro civili ad reddendum id, in quo inde factus est ditior.

32 Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, & minorennis sine tutoris auctoritate contrahens non obligatur civiliter, ut dictum est supra num. 27. obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientiae. Est communis cum Molina tom. 1. tract. 2. disp. 224. n. 31. Sanchez lib. 6. de matrimonio. disp. 38. num. 21. Less. lib. 2. cap. 19. num. 61. Rebell. part. 2. lib. 1. de contract. quart. 8. sect. 2. Gomez 2. resolut. cap. 14. Card. de Lugo disp. 22. sect. 10. num. 288. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 9. num. 7. Sporer tom. 2. tract. 6. cap. 1. num. 138. Onnate de contractibus d. 4. num. 40. La Croix lib. 3. part. 2. num. 671. cum plurimis aliis ibi cit. con-

tra Alciat. Covarrub. & varios alios apud Sanchez numer. 20. Et ratio est, quia obligatio naturalis oritur ex consensu; l. Stichum §. Naturalis, ff. de solut. sed pupillus pubes, vel pubertati proximus, & a fortiori minorennis sufficientem consensum habent, ut colligitur ex §. Pupillus, Instit. de inutili stipul. ergo naturaliter, sive in foro conscientiae obligatur ex contractu. Neque leges civiles tales contractus irritant pro foro conscientiae, & naturaliter; immo potius multis in locis dicunt pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem obligari naturaliter, uti expresse habetur in l. Si pupillus, ff. ad l. Falcidiam, l. Si ejus ff. ad Trebellianum, tit. 1. ff. de novationibus, & alibi saepe, ut l. Marcellus 35. ff. de fidejussoribus, ubi expresse dicitur pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem obligari: non obligatur autem civiliter, ergo naturaliter. Nec obstat quod l. Pupillus, ff. de actionibus, & obligat. l. 1. Quod pupillus, ff. de condic. indebiti, negatur pupillum naturaliter obligari; nam responderet, quod illa jura, & alia similia loquuntur de pupillo impubere proximo infanti, qui cum infirmo intellectum habeat, & parum a furioso distat, ut dicitur l. Pupillus 56. ff. de actione. & oblig. ideo jura civilia ejus contractui resistunt, & omnem obligationem tollunt; sic Layman loc. cit. n. 8. Sporer loc. cit. num. 148. & alii passim. Nec etiam obstat, quod l. 59. ff. de obligat. dicitur pupillum mutuum pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligari; nam sensus est jure naturali non obligari stare contractui, cum ipse rescindere possit; sic La Croix loc. cit. num. 671.

Excipiendi tamen varii casus, in quibus pupillus, vel minorennis, neque obligatur naturaliter, sive in foro conscientiae. Primo, scilicet, si pupillus cum ipso tutore contrahat, v. gr. si tutori vendat domum, praedium, & hujusmodi, non obligatur nequidem naturaliter, quia leges hujusmodi contractui resistunt; l. 1. §. Pupillus, ff. de auctoritate tutor. l. Non licet, ff. de contrahend. empti. Dato autem, quod pupillus habeat tutorem, si auctoritate unius contrahat cum altero, tunc pupillus est obligatus; l. Pupillus, ff. de auctoritate tutor. Layman loc. cit. num. 8. Sanchez loc. cit. num. 45. & alii passim. Secundo, si pupillus alienat bona immobilia vel mobilia pretiosa, quae servando servari possunt saltem per triennium, contractus non obligat nequidem naturaliter; quia in his contractionibus majoris momenti, jus positivum irritat consensum, non solum pupilli, sed etiam tutoris, si consentiat sine decreto iudicis; l. 12. Cod. de administr. tutor. & communis Doctorum, & l. 7. tit. 15. Cod. de praedictis. Tertio, si iudex ex speciali causa interdixerit omnem administrationem pupillo circa res suas, tunc non erit pupillus obligatus nequidem naturaliter per contractum, quia consensus illius esset jure irritus. Sanchez loc. cit. n. 27. La Croix loc. cit. num. 674. & alii.

Uxor sine consensu mariti non potest valide contrahere de bonis dotalibus, quousque talia bona dotalia quoad usufructum, & administrationem sunt sub potestate mariti. Item invalide contrahit servus, sive cum dominis, sive cum aliis contraxerit, & ad proinde neque illis, neque adversus illos conceditur de jure civili actio civilis; l. In personam, l. Quod attinet, ff. de reg. juris, l. Servi, ff. de actionibus, & oblig. Quantum autem ad servum limitanda est assertio in casu, quo servus domino pecuniam promitteret pro libertate, qua adepti, teneretur pecuniam promissam erogare, & pro executione concederetur actio civilis; l. Promissa, Cod. an Servus proprio facto. Sic pariter Religiosi solemniter professi, ex quo ob votum paupertatis nullius rei dominium habent, consequenter nequeunt legitime disporre de bonis monasterii, neque valide contrahere sine consensu superioris; superiores autem, & ab eis deputati administratores bonorum communium, possunt quidem contrahere, sed in multis casibus non nisi dependenter a consensu Capituli, seu religiosae communitatis, & solummodo ad usus determinatos, & quoad hoc observande sunt speciales pro unaquaque religione constitutiones, & legitima praxes. Ita communis Doctorum.

Tertia ex conditionibus requisitis ad validitatem contractus est, ut res quae sub contractu cadit, non sit aliquo

que obligatio, vid. supra num. 1. Secunda ut contractus fiat a personis potentibus, & non prohibitis de jure contrahere, l. 5. Cod. de oblig. Unde invalidi sunt contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, ab amentibus, furiosis, ebriis, & phreneticis: §. Instit. de inutili stipul. & leg. Obligaciones 11. §. 12. ff. de oblig. & actione. Filiusfamilias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, & auctoritate patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. Instit. de inutili stipul. §. Sed quod diximus. Pupillus tamen impubes auctoritate tutoris contrahens obligatur civiliter, ibid. §. Pupillus 9. Et ratio disparitatis est, quia pupillo datur actio contra tutorem, si male suaserit, aut male auctoritatem praestiterit, qualem actionem non habet filius contra patrem ob naturalem reverentiam, ac virtutem pietatis; l. Cum oportet §. sub hoc tamen verb. Filiusfamilias pubes non potest valide contrahere sine consensu patris de bonis adventitiis, & profectis l. ultim. §. 5. Cod. de bonis, quae liberis. Potest tamen talis filius etiam sine consensu patris contrahere de suis bonis castrensibus, & quasi castrensibus, quorum is absolutum habet dominium, Instit. de inutili stip. §. item inutili 6. §. l. 39. ff. de actione. & oblig. Pupillus & Minorennis valide contrahit in suum commodum obligando alterum; non tamen in suum incommodum, seu obligando se alteri sine auctoritate tutoris, vel curatoris. Instit. de auctor. tutor. & inut. stipul. §. pupillus item l. Julianus 13. ff. de actione. empt. l. Contra Juris 28. de pactis & est communis.

28 Pupillus pubertati proximus (id est, post completum annum undecimum cum dimidio, si masculus sit, vel non cum dimidio, si sit femina, ex §. pupillus, instit. de inut. stip. juncta Gloss. verb. Infantia proximus) aut pubes, & multo magis minorennis contrahens cum consensu, & auctoritate tutoris, obligatur & naturaliter, & civiliter; l. Impuberes ff. de auctor. & consensu tutorum.

29 Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt; ista enim pupillis, & minoribus etiam accedente totorum, vel curatorum auctoritate, interdicta est, nisi iudicis decretum accedat; l. Lex, Cod. de administr. tutorum, l. ult. Cod. quando decreto opus non est, §. l. Non solum, si minor, Cod. de praedictis minorum, l. Clarum. Cod. de auctor. praestanda. Pupillus & Minorennis, seu minor 25. annis curatorum habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine tutoris, aut curatoris auctoritate initio. Ita habetur in §. Admonendi, Instit. Quibus alienare licet, toto tit. ff. de auctor. tutor. & l. 3. Cod. de in integrum restit. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili contractu etiam civiliter obligatur: Primo scilicet, quando res tradita pupillo dolo ejus perit, datur contra eum actio civilis, qua solvere compellitur; l. 1. §. An in pupillum, ff. de depositi l. 3. §. pupillus, juncta Glossa ff. de negot. gestis. Secundo, quando pupillus, seu minorennis contractum iuramento firmavit, civiliter etiam actione obligatur; Audent. Sacramenta puberum, Cod. si adversus venditionem. Tertio, quando pupillus, seu minorennis ex tali contractu est factus ditior, l. pupillus §. pupillus, ff. de auctor. tutor. Cod. de usucapione pro emptore. Nam, Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel iactura. Regul. 48. juris in 6. Exempli gratia, si pupillus, vel minorennis mercem sibi traditam a venditore, ante solutum pretium bona fide assumpsit, vel amisit, potest compelli in foro civili ad reddendum id, in quo inde factus est ditior.

32 Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, & minorennis sine tutoris auctoritate contrahens non obligatur civiliter, ut dictum est supra num. 27. obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientiae. Est communis cum Molina tom. 1. tract. 2. disp. 224. n. 31. Sanchez lib. 6. de matrimonio. disp. 38. num. 21. Less. lib. 2. cap. 19. num. 61. Rebell. part. 2. lib. 1. de contract. quart. 8. sect. 2. Gomez 2. resolut. cap. 14. Card. de Lugo disp. 22. sect. 10. num. 288. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 9. num. 7. Sporer tom. 2. tract. 6. cap. 1. num. 138. Onnate de contractibus d. 4. num. 40. La Croix lib. 3. part. 2. num. 671. cum plurimis aliis ibi cit. con-



quo jure prohibita cadere sub conventione, sed revera commercium pati queat. Unde de defectu hujus conditionis si res esset, v. gr. sacra, aut publica, conventio, seu contractus erit inutilis; §. 2. *Instr. de inut. stipul. ibi: Idem juris est (hæc stipulatio erit inutilis) si rem sacram, aut religioſam, quam humani juris esse credebat, vel publicam... vel cujus commercium non habuerit; sic invalidus est contractus, quo sine beneplacito apostolico alienantur, vel permutantur, vel hypothecæ subſcuntur bona ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt; extravag. Pauli II. incip. Ambitioſæ.*

41 Quarta conditio est, ut contractus celebretur cum cognitione, & libere, id est, nullus in conventione intercedat error, neque vis, nec metus, nec dolus; *Reg. 116. §. 2. de reg. juris, ibi: Non videntur, qui errant consentire; nihil consensu tam contrarium est, quàm vis, atque metus.*

Unde quando in altero contrahentium contingit error circa substantiam rei, contractus jure nature est irritus, quia tunc deest consensus substantialis, cum nullus sit errantis consensus, ut expresse dicitur, *l. Non idcirco, Cod. de juris, & facti ignorantia; l. 15. ff. de jurisd. l. 11. & l. 41. de contrab. empr. Si v. gr. dum venditur, & emitur aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma, est nullus contractus, nam emens intendit emere aurum, vel gemmam, non vero aurichalcum, vel vitrum; sine consensu autem contractus est nullus; l. 1. §. Conventiones, ff. de pactis, l. 3. ff. de oblig. & action. Si autem error vel ignorantia sit solum circa qualitatem rei, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum; *l. Aliter 10. & l. Alioquin 31. de contrab. empr. Vide tamen in calce Novar. Rom. Theologi ad hunc num. 43.**

Non est generatim verum, errorem & ignorantiam circa rei qualitatem non impedire consensum ad valorem requisitum. Nam si qualitas talis sit, ut contrahens expresse, vel implicite contrahere noluerit, nisi res tueri fuerit qualitate affecta, certe deest consensus ad valorem contractus necessarius. Tunc enim qualitas una cum rei substantia ingreditur objectum substantiale contractus, & voluntas contrahendi deest, si qualitas illa desideretur. Hinc si emens pannum anglicum v. gr. vel se comparare contendat, vel certe alterius qualitatis, loco vero istius diversæ qualitatis pannus tradatur, is in hujusmodi contractum non consentit, quia ob defectum optate qualitatis, pannus traditus, ille non esset, quem emptor emere velit.

44 Metus ab intrinseco, id est, vel proveniens ab intrinseca complexione hominis, vel incurſus à causa naturali, ut est metus mortis imminens ob morbum, naufragium, serpentes, feras &c. non invalidat contractum, quia homo tunc non impellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum libere inducit, uti habetur *l. Si mulier 21. ff. quod metus causa; & colligitur ex c. Sicut nobis 17. de Regularibus, ubi votum Religionis emissum à constituto in lethali infirmitate censetur validum.*

45 Similiter metus ab extrinseco proveniens, juste tamen ab alia causa libera incurſus, contractum non invalidat; *leg. 3. §. 21. ff. quod metus causa, & colligitur ex cap. Ex literis 2. de sponsalibus, ubi deciditur, eum valide contrahere matrimonium, qui post inita sponsalia metu excommunicationis cogitur ad matrimonium; & ex cap. De Regularibus 25. de Simonia, ubi de aliquo, qui deliquerat, dicitur debere cogi ad strictiorem ordinem. Et ratio est quia metus relinquit simpliciter voluntarium; quod enim metus injuste incurſus irritet contractum, non est ratione involuntarii, sed ratione injustitiae; metus autem juste incurſus non infert cuiquam injuriam. Est communis.*

46 Si metus sit gravis ab extrinseco proveniens, seu ab altero contrahente injuste, & in ordine ad extorquendum consensum incurſus, omnes contractus ex hujusmodi gravi metu ad extorquendum consensum injuste incurſo celebrati, vel sunt ipso jure invalidi, vel saltem per sententiam Judicis rescindendi. Ita communis Doctorum, nam licet pluri, ut Henriquez, Bonacina, Reginaldus, Lessius, alique supra innumeri, præserim Canonistæ, cum Sanch. de matrim. lib. 3. dist. 8. num. 4. Illung. tom. 2. d. 2. n. 349. La Croix loc. cit. n. 636. velint, ut certius est, metum ab altero contrahente injuste, & in ordine ad

extorquendum consensum incurſum spectato jure nature non invalidare contractum, contra Molinam, Rebellen, Valent. Onnat. & varios alios, qui dicunt omnes hujusmodi contractus esse jure nature irritos; tamen omnes conveniunt, quod tales contractus, vel sunt ipso jure positivo irriti, vel saltem irritandi. Et hoc desumitur ex c. Abbas. 2. de his, quæ vi metusve causa fiunt, ubi hæc regula generalis traditur, *ibi: Quæ metu, & vi fiunt de jure debent in irritum revocari; & ex cap. Ad audientiam 4. eodem tit. ubi consimiliter habetur, ibi: Quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Unde nostra assertio sub disjunctione loquens declaratur per inductionem. In primis enim contractus aliqui, scilicet matrimonium, & professio religiosa, a promissio, vel solutio dotis veluti accessorie ad matrimonium, promissio, vel traditio ex rebus ecclesiæ, sunt ipso jure positivo irriti, si fiant ex metu gravi incurſo. Idem tenent multi de sponsalibus, renuntiatione beneficii ecclesiastica, jurisdictione extorta, absolutione à censuris, votis simplicibus, & aliis, de quibus videri possunt Sanch. de matrim. lib. 4. dist. 8. Lessius loc. cit. n. 37. Lugo loc. cit. n. 130. Onnat. loc. cit. n. 230. Illung. loc. cit. n. 350. & signanter Glossa magna in cap. Abbas 2. de his, quæ vi metusve causa fiunt, ubi varia jura adducit. Reliqui vero contractus per talem injuriam metum extorti non sunt ipso jure positivo irriti, & invalidi, sed tantum irritandi. Est fere communis cum Gloss. mox citata in dict. c. Abbas in fine, ubi ad denotandos contractus causa gravis, seu conditionis metu, ipso jure irritos, & alios solum irritandos, adducit sequentes verus.

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum. Hæc sex vi facta de jure scias fore nulla, Cetera jura patitur, sed postea restituerunt.

Et ratio est, quia jura de ceteris aliis contractibus loquuntur ut validis, & qui irritatione, seu rescissione indigeant. Sic habetur in *l. 1. ff. de eo quod metus causa, l. Dolo vel metu, Cod. de inutil. stipulat. leg. Si mulier 21. §. Metu coactus 2. ff. de eo quod metus causa, & l. Si metus causa 84. ff. de acquirend. hered. ubi dicitur adeuntem hæreditatem ex metu hæredem fieri, sed restituendum esse; & leg. final. Cod. de his, quæ vi, dicitur: Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, precipimus infirmari, & cap. Abbas 2. de his, quæ vi metusve causa fiunt, præcisè habetur, quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. Et causa harum legum fuit, partim ne lites, & jurgia multiplicarentur, si unicuique absque sententia Judicis liceret res suas repetere, partim quia injectio metus injusti est delictum, delicta autem non presumuntur; hinc jus statuit non dari actionem, nec rescindi contractum, aequum delictum probetur; sic recto suo more La Croix loc. cit. n. 638. Hic tamen est advertendum, quod hæctenus dicta intelligenda solum sunt de metu gravi, seu cadente in constantem virum, non autem de metu levi, prout habetur cap. Cum delictis 6. de his, quæ vi, metusve causa fiunt.*

Contractus trium contractuum, qui à multis defenditur, ab aliis improbat, à Pontifice Benedicti XIV. præcisè non improbat, sed facultatem permittit Episcopis, ut in suis synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo; de synodo dioces. lib. 7. to. cap. 50. Vide etiam in nostra Biblioth. verb. Societas, ubi fuisse de eo.

Contractus collatus is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti lege hæc adjecta, ut si bos naturaliter moriatur, dampnum sit domino & bubulco commune. Si vero preat culpa bubulci, is totum dampnum subeat. Hic contractus approbatus est à Theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt à Sac. Congregat. Concilii die 6. Decembris 1730. de synodo dioc. lib. 7. cap. 51. §. 2.

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam, prædium tamen retinet tamquam conductor, & pro conductione mercedem solvit, donec

idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu penitens emptor à Confessario interrogandus est, non reipsa animus sincerum haberit emendi; similiter & venditor interrogandus est num ab emente pecuniam mutuum petierit, eumque renucentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi? In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum vendicandum est; secus vero non. De synodo dioces. lib. 7. cap. 51. §. 5.

Alia ad rem, vide verb. Societas num. 3. ad 10.

Nulla jure naturali inspecto intercedit differentia pacta inter & contractus quoad effectum obligationis, utpote quæ in utrisque ex eodem principio sequitur, scilicet quod is, qui pacto, seu contractu jus aliquod alii concedit & in eum transfert, ex regula justitiæ generalis, id debeat tribuere et, in quem jus consensu illo translatum est. Rectè Modestinus in leg. 52. §. 4. de obligat. & action. Consentientes (inquit) in aliquam rem consensu obligari necessario ex voluntate nostra videmur.

At leges Romanæ pacta, quæ sine ulla causa vel præcedenti, vel presenti, vel futura ineuntur, distinguunt à pactis, quæ continent synallagma, id est, ubi quis ideò se obligat, vel quia aliquid datum, vel factum est ab altero, vel quia vicissim aliquid præstare debet. Priora pacta nuda vocabant, atque ex ipsis civilem obligationem non dabant; neque enim civibus temere sua jactare permissi debere credebant, quia non tam animo deliberato, quam præcipitatio consilio promississe censebantur. Posteriora vero pacta contractus nominabant, civilemque ex iis actionem dabant: Eidem (ait Sixtus Cæcilius apud A. Gellium lib. 2. noct. Attic. cap. 1.) majores nostri in negotiorum contractibus sanxerunt. Confer Noodt. de pact. c. 9. & seq. utrovisque per tot.

Inter posteriora hæc pacta, quædam frequentiorum usum habebant, & quotidie occurrerant. Quo factum est, ut Romanæ leges illis dederint proprium nomen, quod totam negotii naturam exprimeret, eaque contractus nominatos vocaverint, & actionem inde natam nominatam. Et quum horum contractuum quidam dationem requirerent, quidam consisterent nudo consensu, quidam verbis, quidam literis contraherentur, nati inde sunt contractus reales, consensuales, verbales, & literales. Ceteros contractus, quibus peculiare nomen hæud dedere, innominatos appellaverunt: quia quum certum illis nomen impositum non sit, manet ratio naturalis contrahendi illa negotia, per verborum scilicet ambages circumscribendo id, quod partes inter se actum esse volunt. Unde Auctor dabatur actio prescriptis verbis ad exigendum id, quod ob causam promissum est.

Ex hypothese itaque legum Romanarum contractus sunt pacta, quæ ob causam fiunt, adeoque ubi synallagma seu commutatio juris subest. Quare differunt à pactis, quæ talem causam minime habent, adeoque ubi synallagma non subest.

Patet ex dictis cur leges Romanæ nullam ex pactis, quibus causa non suberat, actionem dederint. Sed tractu temporis æquitas fidei datæ prævaluit, & obligatio pactis plenissime restituta est.

Primo ipsæ leges Romanæ plures exceperunt species pactorum, ex quibus civilem obligationem, id est, actionem dederunt, quæque legitima, seu vestita dixerunt. Huc pertinent pactum de donando leg. 35. §. 5. C. de donat. Promissio dotis leg. 6. C. de jur. dot. & alia, de quibus vide Noodt. de pact. cap. 13. & seq.

Secundo ex pactis contractibus bonæ fidei incontinenti adjectis obligationem itidem civilem dederunt; leg. 7. §. 5. & 6. ff. de pact. Consule Noodt. de pact. cap. 11.

Tertio Prætor actionem dedit, si quis pecuniam, quam ipse, vel alius Titio debet, se soluturam nudo pacto promittit; rot. tit. ff. de constit. pecun.

Idem Prætor demum ex omni pacto exceptionem dedit, id est, omnes effectus debiti naturalis ei tribuit præter actionem: ubi ad naturalem æquitatem provocat, & nihil tam fidei humanæ congruum esse inquit, quam pacta conventa servare, leg. 1. princip. de pact.

Jus canonicum restituit jus nature, & ex omni pacto actionem dedit. Idque probatur ex cap. 1. de pact. Ferrar. Bibliothec. Tom. II.

verb. Conventus sentiant disciplinam ecclesiast. &c. Ergo conventus mediante actione compelli ad implendum pactum potest: ex cap. 3. eod. ubi indistincte dicitur, promissum esse servandum ex cap. 1. §. final. eod. tit. in 6. verb. Perpetuo inviolabiliter observari... Vide & alia juris canonici loca allegata à Strykio in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. §. 2.

Moribus confirmatum est jus canonicum, ita ut hodie omnia pacta nuda producant obligationem civilem; Groenweg. in leg. 10. per tot. eod. de pact. Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. §. 3. At conferat præ ceter. Henric. Coccei in dissert. de jur. panis. 4. §. 10.

Quæ quum ita se habeant, duo inde inferre licet. Primum est, quod hodie nec in contractibus innominatis locus sit penitentiae. "Gravis (ita ad rem disserit Strykio in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. §. 5.) controversia resultat, an supposita simplici illa pactorum validitate penitentiae adhuc locus sit in contractibus innominatis? Quippe Romano jure expeditum est, in illis contractibus non tantum ab initio penitentiae locum esse, sed & illi repetitionem permissam, quæ ex sua parte contractum adimplevit &c. Hodie vero in contractibus innominatis penitentiae locum non esse, ea proprie defendit Molina &c. quia omnia, quæ de pacto nudo, ac vestito, de contractibus nominatis, & innominatis subtiliter potius, quam utiliter ab Ethnicis hominibus inventa, atque introducta sunt, non congrunt validitati pactorum, quam de jure naturali, & canonico habent. Molina sententiam rejicit D. Hann. ad Wesembec. &c. Leges Romanas ab iniquitate vindicans, & exemplo perniciosum esse asserens, ista, quæ longa deliberatione habita diu in Republica constituta, velie abrogare. Verum ut facile admittat, non posse iniquitatis incusari jus Romanum, ut in contractibus innominatis penitentiam admittat, quippe omnino arbitrio legislatoris civilis est modum inducendæ obligationis determinare, aut limitare &c. Non tamen video qua ratione hodie defendi possit illorum sententia, quia quamvis ex pacto actionem concedant, pactum tamen permutationis alteriusve contractus innominati obligationem validam producere negant, sed adhuc penitentiae locum esse asserunt &c. Si enim stipulatio contractus innominato addita excludit penitentiam, quid ni & pactum quod vim stipulationis habet?

Alterum est, quod omnes contractus dici possint consensuales. Hodie (ita quoque prosequitur Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. §. 7.) omnes contractus veros (si literarum obligationem exceperis, in qua singularitas notoria) in effectu esse consensuales, sive nominati sint, sive innominati. In eo enim consensuum alium contractum vis consistit, quod ex solo consensu inducatur obligatio citra ullius rei interventum &c. Atqui vero consensus contrahentium in quocumque alio contractu pariter adsit necesse est. Supposito consensu supponitur pactum. Ex pacto vero valida resultat obligatio. Id tamen adhuc hodie verum est, consensu non perfici contractum realem, sed rei interventum adhuc necessarium esse. Quis enim pacta de commodando, vel deponendo, commodatum, vel depositum hodie diceret? Sed & id tamen verum est, pactum de commodando obligationem efficacem pariter producere, quam si consensualis contractus pariter fuerit initus. Unde nec commodatari, nec depositario actio datur hodie, sed tantum conditio ex pacto de commodando &c. Ubique tamen suppono interesse alterius necessarium verti in implemento pacti, alioquin cessante interesse penitentiae locus est in omni alio contractu, quum exceptio tua non interest omnem agentem repellat."

Cave autem, ne confundas tractatus de contrahendo cum pactis, & contractibus. Separandi enim sunt tractatus ab ipsis pactis, & contractibus. Hoc omnino certum, & nudis tractatibus ad conclusionem non deductis, nec hodie oriri obligationem. Quamdiu enim negotium adhuc tractatur, deest consensus ille duorum in idem placitum. Diversum vero est à tractatu pactum de contrahendo. Quocirca omnino obligatur, qui mihi promittit, se domum vendituram esse, vel rem mihi esse commodatam.



tatum. Adest enim jam tum idem placitum: Vide Stryk. de causel. contract. sect. 1. cap. 6. §. 1.

78 Reliquum est, ut discipiamus, an illa, quæ de jure Romano obtinebat distinctio inter contractus bonæ fidei & contractus stricti juris, locum sibi vindicet etiamnum.

79 Contractus illi dicebantur bonæ fidei, ex quibus vel utriusque principaliter obligatio, ac propterea etiam utriusque directa actio nascebatur, vel ex uno latere principaliter, ex altero per consequentiam quamdam, ac velut ex postfacto, adeoque duplex quidem actio competebat, sed directa una, altera contraria; contra vero contractus, qui ex uno tantum latere obligationem pariebant, stricti juris erant.

80 In contractibus autem bonæ fidei quum difficilissus esset ob multiplicem circumstantiarum varietatem ita vel passionibus omnia definire, vel cautionibus circumscribere, ut non à prudentissimis quædam omitterentur, justum visum fuit, id quod desset expressæ partium conventioni, per Judicem ex bono, & æquo suppleri, atque ita per eum æstimari quantum alterum alteri ex bono & æquo sita extra, ac præter id, quod in conventionem deductum erat, præstare oporteat. E diverso quum in contractibus stricti juris non tantæ, tamque multipliciter occurrerent rerum varietates, visum fuit his definiendis prudentem contrahentis circumscriptionem posse sufficere, ac suæ culpæ, & negligentie debere unumquemque accepto ferre, si minus ei per conventionem adstrictum esse oportere iis, quæ plauerant, nec debere eorum, quæ nominatim cauta non essent, habere rationem. Adis. Vinnium in comment. ad inst. lib. 3. tit. de actio. §. 28. num. 2.

82 Ut autem ad propositam questionem veniamus, differentiam inter utriusque generis contractus adhuc superesse, & nisi ea retineatur, totam jurisprudentiam subverti debere, tenet Faber. de error. prag. decad. 9. erro. 1. Contra Gudelin. de jur. noviss. lib. 3. capit. 13. Stryklius in usu modern. Pandect. lib. 44. tit. 7. §. 8. & post alios Bohemer. in introduct. in jus digest. lib. 44. tit. 7. num. 19. sentiunt, nullam hodie esse usum dicte differentie.

(Nulla mora erat hic offerenda, nam omnia supra inserta in hoc opere obtinent confirmationem. Vide nihilominus lit. A. ex pag. 85. ad 96. 103. 110. col. 2. Conduct. expositum ex pag. 202. ad 211. col. 1. Recognoſce pag. 229. col. 1. ex pag. 234. col. 2. ad 236. ex pag. 240. col. 2. ad 243. col. 1. Lit. C. pag. 7. ad 9. col. 1. Ad rem ex pag. 10. ad 13. col. 2. pag. 25. in princ. col. 2. pag. 132. col. 2. ad 137. atque pag. 205. ad 209. col. 2. Lit. D. ex pag. 59. col. 2. ad 63. col. 1. pag. 79. col. 1. vers. Pactum. . . pag. 110. col. 1. pag. 113. col. 1. pag. 207. ad 214. pag. 215. ad 244. pag. 332. ad 335. Lit. F. pag. 34. col. 2. pag. 35. col. 2. ad 57. col. 1. Lit. I. ex pag. 1. col. 2. ad 5. col. 1. pag. 51. vers. Error. . . pag. 81. col. 1. vers. Incendium. . . Liter. P. pag. 1. col. 2. ad 5. & denique pag. 29. Hæ remissiones sunt nunc hucusque prælo demandate, dum hæc adnotatio inseritur. Non prætermittat perlectio eorum omnium quæ verb. Culpa, & ceteris contrahibus debent subnecti: in eis, si aliquod amplius necessarium æstimatur, omittendum non venit. Repete in eisdem verb. adnotatos titulos, præsertim §. & 11. part. 5. ubi fere cum præcedenti doctrina dissonantia aut discrimen non reperitur.)

CONTRIBUTIO.

SUMMARIUM.

1 Ecclesiæ, & Ecclesiastici tum Seculares, tum Regulares, sunt immunes ab omnibus contributionibus, & exactionibus à quibusvis laicis impostis.

2 Omnes, & singuli cujuscumque dignitatis, & præminentie, etiam Imperialis, Regalis, Ducalis &c. sive per se, sive per alios, directe, vel indirecte exigentes sine dispensatione summi Pontificis ab ec-

clesiis, & ecclesiasticis contributiones, & collectas, incurruni ipso facto, & jure excommunicationem majorem Papæ reservatam.

3 Et hæc excommunicationem incurruni qui dictas contributiones, impositas recipiunt etiam à sponte dantibus.

4 A prædicta excommunicatione extra articulum mortis nemo potest absolvi præter Romanum Pontificem, & in articulo mortis nemo potest absolvi præter Romanum Pontificem, nisi ipsi prius cautionem præstent de restituendo, mandatis ecclesiæ parendo, & similia non ulterius faciendo.

5 Absque incurso tamen excommunicationis, & culpæ possunt licite ecclesiis, & bonis ecclesiasticis imponi contributiones, concurrentibus copulativè sex conditionibus, quæ assignantur.

6 Cum solo consensu Episcopi, & Cleri, & absque consensu Papæ, si ceteræ aliæ requisitæ conditiones concurrunt, possunt imponi dictæ contributiones, quando grave periculum est in mora.

7 Hoc tamen ad unum, & alterum actum, & ad breve tempus solum.

8 Aliqua interveniente gravi particulari necessitate, & impossibilitate interim adjuvandi Episcopum, potest interdum ratione gravis periculi in mora exigi, & respectivè solvi dicta contributio, etiam absque consensu Episcopi & Cleri.

9 Nominè Cleri non venit solum Capitulum ecclesiæ cathedralis, sed totus Clerus diocesis, saltem in suis deputatis.

10 Et sic servando consilium & indemnitati immunitatis ecclesiasticæ, & securitati Episcoporum.

11 Cognita vera communi necessitate, tenetur Clerus contribuere.

12 Dummodo tamen prius consulatur Summus Pontifex, nisi grave periculum sit in mora.

13 Absque prævio consensu Papæ, non solum laici exigendo, sed etiam Clerici solvendo contributiones quas-cumque & Episcopi concedendo, aut consentiendo ut solvantur, illicitè, & invalidè agunt, ac excommunicationem ipsi Papæ reservatam incurruni, nisi forte excusarentur per grave periculum in mora.

14 Clerici enim nequæ de se renunciant privilegio in favorem totius Ordinis, & status clericalis concessio.

15 Alia multa ad rem, remissive.

16 Additiones inseruntur.

**E**CCLESIA, & ECCLESIASTICI tum Seculares, tum Regulares, sunt immunes ab omnibus contributionibus, exactionibus, tributis, & oneribus novis, & extraordinariis, etiam illis, quæ ex causa belli, famis, & pestis, ac hujusmodi à laicis imponuntur: Communis per expressos textus in cap. Non minus 4. & cap. Adversus 7. de Immunitat. Eccles. cap. Quamquam 4. de censib. cap. Quia nonnulli 1. & cap. Clerici 2. de Immunit. Eccles. in 6. Extravagant. Quod olim, & de immunitat. Eccles. Const. Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex. . . Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. leg. Placet. 5. & leg. Sancimus 21. Cod. de Sacrosanct. Eccles. leg. Descriptionis 1. Cod. de imponenda lucrativa descripti. authent. Item multa Cod. de Episcop. & Clericis, Novella 131. cap. 1. cum similibus, & pluribus aliis iuribus, tam canonicis, quàm civilibus, & immuneris Sacræ Congregationis Immunitatis decretis, quæ inter alios referuntur à D. Petro Andrea Riccio in synopsis resolutionum, & decretorum Sacr. Congr. Immun. verb. Contributio, & fere per tot.

Omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, & præminentie etiam Imperialis, & Regalis, Ducalis &c. sive per se, sive per alios directe, vel indirecte exigentes sine expressa speciali licentia Romani Pontificis ab ecclesiis, ecclesiasticis personis, aut eorum bonis, contributionibus, collectas, decimas, tales, præstantias, & quæcumque alia hujusmodi, seu ad id consilium, auxilium, favorem, concursum, ac executionem præstantes præter gravissimum sacrilegii peccatum, & integram debitam omnium restitutionem, incurrere docent Romani Auc-

Auctores excommunicationem majorem Papæ reservatam cap. Clericis de immunit. eocl. in 6. const. Urban. VIII. incip. Romanus Pontifex. . . cum aliis civitatis iuribus; quod tamen minime congruit doctrinæ universim receptæ.

Et hæc excommunicationem incurrent, qui dictas contributiones, collectas, & hujusmodi impositas, etiam à sponte dantibus, & concedentibus (hoc est sine alia vi, aut coactione præter exactionem, seu impositionem) reciperent: quæ doctrina uti deducta ex Bulla Cœnæ, non est faciendæ pluris, quàm allæ quæ habetur ex constitutione Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex §. 6. ibi: Etiam à sponte dantibus, vel contribuentibus, & sæpissimæ Sacræ Congr. Immunitatis. (verb. Immunitas)

A prædicta excommunicatione extra articulum mortis, nemo, præter Romanum Pontificem, absolvi potest; & in articulo mortis prius cautionem tenerentur præstare de satisfaciendo, & mandatis ecclesiæ integre parendo, & similia non ulterius faciendo, ut colligitur ex cap. Clericis 3. de immunit. eocl. in 6. cit. const. Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex. . . cum aliis supra allegatis iuribus; quæ doctrina hodie est nullius momenti, cum Bulla Cœnæ, cui innitebatur, universim reprobatã sit.

Absque incurso tamen excommunicationis, & culpæ, possunt licite imponi ecclesiis, & bonis ecclesiasticis contributiones, & collectæ extraordinariæ, easque tenentur ecclesiæ, & ecclesiastici solvere, si sex copulativè conditiones concurrant: Primo deliberatio Episcopi una cum Clero: Secundo magna necessitas, & utilitas: Tertio ut necessitas, vel utilitas sit communis tam laicorum, quàm Clericorum: Quarto ut laicorum facultates non suppetant: Quinto ut prius Romanus Pontifex consulatur, & is expressam facultatem ad id concedat, nisi grave periculum sit in mora: Sexto ut contributio fiat sine ulla exactione laicali, sed exactio fiat per personam ecclesiasticam à superiore ecclesiastico deputandam; sic per jura citata supra n. 1. expresse Sacr. Congr. in Brundusina Gabella 13. Februario. 1604. coram Pegna, sequuta à Sacr. Congr. Immunitat. 28. April. 1650. relatæ à Barb. lib. 1. jure ecclesiast. univers. cap. 39. §. 6. num. 8. & à nobis ad literam adducta sub verb. Bona ecclesiastica, art. 1. num. 71. & sic Fagnanus in cap. Non minus 4. de immun. eocl. ad num. 22. Barbosa loc. cit. Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 49. ad num. 254. & comment. aliorum, & alia Rotæ decisiones, & innumeræ Sacr. Congr. Immunit. resolutiones apud Riccium loc. cit. Pignat. tom. 2. cons. 14. & tom. 3. cons. 15. ac tom. 1. cons. 121. & varios alios.

Dicitur autem notanter in quinta requisita conditione, Nisi periculum sit in mora, quia in casu urgentis necessitatis hostis imminens, ac minantis civitati obſidionem, ignem, & ferrum, & hujusmodi gravissima mala, ac interim nec tempus, nec vis habetur adjuvandi tam cito Summum Pontificem, in tali urgenti casu, si ceteræ aliæ requisitæ conditiones adessent, sufficeret consensus Episcopi & Cleri; sic expresse Abbas in cit. cap. Non minus 4. num. 19. de immunit. eocl. Pignat. tom. 3. consult. 15. num. 37. Castropal. part. 2. tract. 12. disput. unic. punct. 9. num. 3. Diana part. 5. tract. 1. resol. 12. Silvestre verb. Immunitas 1. num. 40. Pithag. lib. 3. decret. tit. 49. num. 72. Reiffenst. ibid. num. 260. vers. Limitatur. . . restans de communi; arg. cap. Pervenit 2. de immunit. eocl. leg. Tutor qui repertorium 7. ff. de administrat. tutor. Et ratio est; quia quod non est licitum in leg. Necessitas facit restu expresso in cap. Quod non est licitum 4. de regul. juris. Necessitas enim non habet legem: cap. Sicut 11. de consecr. dist. 1. cap. Consilium 2. de observat. fejunior. cap. Omnes 11. de ferit. cap. Consuluitus 3. de celebr. missar. cum similibus. Tum quia in tali urgenti necessitate subintrat jus naturale, quo Republica jus habet ad se proteigendum etiam contra ecclesiasticos, si isti in tali imminente, & gravi periculo ipsam succurrere nolint. Lex enim positiva, sive divina, sive humana sit, non obligat, quando urget vis præcepti naturalis, atque divini: D. Thom. p. 2. q. 94. art. 1. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 13. & 14. & p. 2. lib. 4. cap. 18. Pignat. tom. 3. cit. cons. 15. n. 37. & alii passim.

Advertendum tamen est cum citatis Doctoribus, quod licet talis urgens necessitas, & more periculum facile possit contingere in exactione contributionis ad unum, vel alterum actum, seu ad breve tempus; si tamen necessitas durat, & contributio ad longum tempus continuanda sit, tunc pro tali continuatione debet obtineri Papæ consensus, quamvis sine ipsius expresso consensu rationis talis urgens mora periculi fuerit incepta; cum enim quoad continuationem lex de exquirendo Pontificis consensu; non obstante necessitate, servari possit, ut supponitur, debet necessario adimpleri; eo quod causa excusans cessaverit; arg. cap. Cum cessante 60. de appellat. leg. Adigere 6. §. 2. de jure patron.

Item advertendum est, quod sicut urgente moræ periculo absque expresso consensu Papæ contributiones ab Ecclesiasticis exiguntur, & respective solvi possunt; ita etiam absque expresso consensu Episcopi & Cleri, si aliqua particularis intervenerit urgens necessitas, & impossibilitas interim adjuvandi Episcopum; militat enim eadem ratio in utroque casu, & ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; leg. Ideo 27. ff. de legibus, leg. Illud 31. ff. de leg. Aquil. cap. Inter corporalia 26. de translationi. Episcop. Sic Reiffenstuel loc. cit. n. 260. verb. Limitatur, & alii.

Nominè Cleri, qui una cum Episcopo debet prius examinare, deliberare, & judicare, an necessitas Reipublicæ tanta sit, ut laicorum facultates non sufficiant, & consequenter de bonis quoque ecclesiasticorum sit succurrendum, hic venit non solum Capitulum ecclesiæ cathedralis, sed totus Clerus diocesis saltem in suis deputatis; Abbas in cap. Non minus 4. num. 1. de immunit. eocl. & ibi Fagnan. num. 23. ac Barbosa num. 7. Pignatelli tom. 3. consult. 15. num. 34. Megala part. 2. lib. 2. cap. 17. quest. 6. num. 124. Bellet. disquisit. cleric. part. 1. tit. de exempti. Cleric. §. 2. num. 5. Bonacina in Bulla Cœnæ disp. 1. quest. 19. punct. 3. §. 3. num. 16. Marchin. de peste part. 4. cap. 4. num. 11. & alii passim. Rota in cit. Brundusina Gabella 13. Februario 1604. coram Pegna, quam sequuta est Sacr. Congr. Immunit. 28. April. 1640. apud Barbosa cit. lib. 1. juris ecclesiastici, cap. 39. §. 1. num. 8. & in Parmen. Placentina; Mantuana; Aquin. Catalen. Mutinen. Regien. Lucan. Braxien. Cremon. Nullus Guastalla; & Nonantule 22. Decemb. 1691. & 26. Novemb. 1692 in Mediolanen. & Florent. 1. Septemb. 1693. & in Pedemoniana 15. & 10. Julii 1691. apud Riccium loc. cit. verb. Contributio causa belli. . . ibi: Audiit Ordinarius locorum; & convocatis deputatis Cleri, tum secularis, tum regularis, ad habendum consensum pro suppeditando honesto subsidio in supplementum facultatum laicorum tempore belli &c. Vide ibi, ubi plurima aliâ decreta referuntur ad rem; unde ad id non sufficit deliberatio Episcopi cum Capitulo ecclesiæ cathedralis, & multo minus solius Episcopi; arg. Clement. 1. & 2. de censib. Et ratio est, quia concursus Cleri simul requiritur pro forma in cit. cap. Non minus. . . ibi: Nisi Episcopus & Clerus &c. & in cit. cap. Adversus; ibi: Si Episcopus simul cum Clericis &c. Tum quia quod omnes rangit, debet ab omnibus approbari; textu expresso in cap. Ad hæc 7. de offi. Archidiaconi; & cap. Quod omnes 29. de regul. jur. in 6. quidquid in contrarium sentiant alii qui apud Reiffenstuel loc. cit. num. 218.

Et hæc servando statutam formam consultiunt & indemnitati immunitatis ecclesiasticæ, & securitati Episcoporum; consultiunt indemnitati immunitatis, quia per talem formam occurritur collusioni quorundam Episcoporum qui minus perterriti, vel spe premii allecti, possint ecclesias, & ecclesiasticas personas nimis gravare ad solvendas exuberantes solitas prætendi contributiones contra dispositionem cap. Clericis 3. de immunit. eocl. in 6. Et consultiunt secularitati Episcoporum, qui si ex solo suo arbitrio contributio penderet, non audeant tamen facile illam armis, exercitiis, ac Principibus denegare, prout libere facere possunt docendo, quod non à se solis cum Capitulo suæ cathedralis, sed à toto id Clero dependet, per supra allegatâ jura & decreta, ac alia similia.